

[p. 103.] **Adnotationes tertiae de visitatione, facta per excellentissimum ac rever[en]d[issi]mu[m] Episcopum Vátziensem, anno 1761. diebus 20., 21. Junii**

Facta mentione in superioribus adnotationibus [p. 104.] visitationis ab Exc[el]l[entissi]mo D[omino] D[omino] Episcopo Vátziensi peractae, lubet eandem quoque cum omnibus suis circumstantiis descriptam secutoro tempori transmittere, ut sciatur cum utilitate, quid et qualiter fuerit ea occasione in ha[e]c ecclesia factum, quid ab Episcopo Exc[el]l[entissi]mo investigatum, quid denique ordinatum.

Veniente Szentesino Exc[el]l[entissi]mo Episcopo, nos V[erbi] Divini Ministri, cum potioribus senatus, scholae rectore, studiosis et discentium puerorum majoribus, scholarum item in quibus filiae informantur praeceptoribus et d[omi]no cantore, aliisque perhonestis personis, qui forte tunc apud nos commorabantur. Eidem obviam extra oppidum, ad duos circiter jactus, nosmet conferebamus, longo ordine hinc inde secus viam dispositi. Ut curru suo adpulit Exc[el]l[entissi]mus Ep[iscopu]s, ipse aurigam stare jussit, quo facto clarissimus d[omi]nus collega, Michael Füredi, curru proximus accedens, Episcopum compendiose salutaverat, sermone hungarico, Ep[iscopu]o salutationem vultu sereno ac attente excipiente, et benigna satis verba reddente.

Oppidum ingressum Exc[el]l[entissimu]m Ep[iscopu]m excepit latina salutatione spectabilis d[omi]nus Vice-Comes, Nicolaus Kárász. Tandem absolutis in Ecclesia Romano Catholica suae religionis ritibus: Nobis V[erbi] D[ivini] Ministris, per missum nuncium significari jussit, ut ad horam pomeridianam quartam, suam Excellentia[m] in oratio nostro praesentes praestolemur. Sed imbre durante impeditus Exc[el]l[entissimu]s Ep[iscopu]s, mutavit consilium sum veniendi in templum. Nosque ad hospitium suum venire jussit. Ubi haec acta sunt:

[p. 105.]

I. Nos V[erbi] D[ivini] Ministros domum ingressos, sedere, sibi e regione jussit. Quod factum statim.

II. Mandatum S[ac]r[atissi]mae Cae[sa]reae R[e]g[iae] Majestatis quo visitatio haec Ep[iscopu]lis injuncta esse praesumebatur solus praelegit, sic quae sibi prudenter sane et pie viam munivit ad ea, quae, cum nobis agenda habuit.

III. Occasio vero (ut id saltem verbo moneam) Regii mandati, quo visitatio Ecclesiarum Helvet[icae] Confessioni addictarum Dioecesanis Romanae Ecclesiae in Hungaria Ep[iscopu]lis injungebatur. Haec erat:

Anno 1742, ab Episcopo Quinque Ecclesiensi delati sunt S[ac]r[atissi]mae Aulae Regiae, eiusdem Dioeceseos Ecclesiae Reformatae, isto nomine (quasi id novum, et tunc demum primo fuisset auditum) quod ne in casu quidem necessitatis, laicis et malis erculis admittant Baptismi administrationem. Ad quam relationem emanavit famosum illud anni 1742 regium rescriptum, quo compellentur immo Regni Comitatum Proceres, ad adstringendos Helvet[icae] Confessionis pastores, ad id, ne ulterius obstetricibus in casu necessitatis Baptismi administrationem interdiceret sub gravi animadversione adtentent. Cuius regii rescripti copiam in fine harum adnotationum adnexam habebis.

Vigore huius Regii Intimati, Episcopi Dioecesani, ad visitandas in Hungaria Reformatorum Ecclesias sese accinxerunt. Quamvis in Regiis Litteris, nulla, faciendae hujus visitationis fuerit mentio. Sed solummodo comitatensibus dominis commissa erat Regii mandati publicatio.¹

Itaque anno 1744 Episcopus istius temporis Vátziensis, visitatis omnibus suae Dioeceseos [p. 106.] Ecclesiis Reformatis, ad nostram quoque tandem hanc in Dioecesi sua extremam ac finitam pervenit. Tunc ego, qui haec scribo in exteris Belgii et Germaniae

¹ Már ez 1731. Károly-féle rendeletben (Carolina Resolutio) 6. pont reá rendelve van ellenünk, a kath[olikusok] archidioconusok vizitációja. Szeremlei

Academiis debebam. Atque hac ratione de actis istius visitationis pauca referre possum. Illud saltem a clarissimo d[omi]no collega domum reversus didici. Se in oratorio nostro fere ad sesquihoram fuisse in puncto Baptismatis examinatum, per sufraganeum quendam Episcopi, ipso dum et quando solum interloquente. Censuram istam placidissimam fuisse intellexi, et a magni nominis Episcopo Althanio, examinantem canonicum identidem fuisse interpellatum, simul ac ad curiosas et levioris momenti quaestiones in materia baptismi deflexerat. Unum hoc in futuram cautionem committere non possum, quin adnotem: Dictum Exc[e]ll[entissi]mum Ep[isco]pum Althanium, objacisse, modeste tamen ecclesiae nostrae. Vasis baptismalis vilitatem, et patinae aquam excipientis pulverulentiam, in qua digitis suis ductus quoque facile observabiles fecerat. Quo ipso quod fatendum est circa vasorum baptismalium curam, nos, nostrosque effecit diligentiores.

Redeo ad inceptum, et eo continuatum acta Visitationis Eszterhazianae, Althanianam anno 1761 insecutae, aqua re ita exigente parumper digressus eram. Itaque.

III. Omnium prima quaestio in puncto Baptismatis ista fuit, quam Archidiaconus Félegyháziensis movebat: **Qualis intentio debeat esse in Baptizante, an actualis, virtualis, vel habitualis?** Ad hanc quaestionem jubente [p. 107.] Exc[e]ll[entissi]mo Ep[isco]po, ego respondebam: Nos quidem piam intentionem vel attentionem potius, Baptizantis, minime improbamus: Verum efficaciam Baptismatis non intentioni baptizantis. Sed sanguini et spiritui Baptismum instituentis adscribere. Deinde, quod ad terminos, **actualis virtualis et habitualis** adtineat. Eos scholares esse, non scripturarios. Denique ipsum Consilium Tridentinum de eo nil quidquam definivisse.

Secundo, quaesitum est de forma Baptismi, quam, consistere in unione et convenientia rei significantis aquae nimirum baptismalis per verbum sanctificatae, cum re significata, scilicet sanguine et spiritu [Chri]sti, cuius participationem et significat et obsignat et exhibet vi promissionis adjectae, baptizatis.

Circa absolutam necessitatem urgebat Exc[e]ll[entissi]m[us] Ep[isco]pus locum Joh[annes] 3:5 **nisi quis reginitus fuerit ex aqua et spiritu** et [cetera]. Clarissimus d[omi]n[us] collega docte et explanate respondit, voce utraque per Hendiadym intelligi aquam spiritualem, quae si seorsim et distincte spectetur, est ipsum meritum sive obedientia [Chri]sti, quae aquae non ei ne audit, item spiritus eiusdem.

Tandem ventum erat ad obstetrices, quas cum nos interrogati, in casu quoque necessitatis baptizare posse negaremus: Obtendebat Exc[e]ll[entissi]mus Ep[isco]pus periculum salutis infantium sine baptismo decedentium. Ad quod ego inter alia respondebam: Secundum Principia Romano Catholicorum, **propositum² Baptismi in casu necessitatis sufficere ad salutem**, quae formalia sunt, Romanae Catecheseos verba, in margine, pag[ina] m[argine] 162. Edition[e] Antonio Remondini an[n]o 1733. Propositum vero illud habere respectu quorumvis infantium, et quidem serium ac sincerum, et eorum parentes, et animarum [p. 108.] pastores et infantium cognatos, quin omnes vere christianos, certissimum est, Benignissimo Deo propositum tam pium sine salutari destitui minime permittende.

Absoluto examine, cujus saltem compendium descripsi, Exc[e]ll[entissi]mus Ep[isco]pus ista ordinavit:

I. Ut obstetrices in casu necessitatis baptizare non modo prohibere non debeamus, quin easdem hoc facere jubeamus, informatas prius de modo et formula baptismationis. Post nostrum ab Ep[isco]po discessum ipsae quoque obstetrices advocari jussae sunt, illisque sub gravi comminatione imperatum, ut infantulos in periculo mortis constitutos baptizent. Exc[e]ll[entissi]m[us] Ep[isco]pus, pro sua gravitate et prudentia cum obstetricibus non in sua persona agebat. Sed committenda, rev[erendis] d[omi]nis, quos secum habebat plebanis committebat, quos inter primas tenuit Rev[erendus] D[omi]nus Archidiaconus

² Áthúzva: intentionem

Félegyháziensis. Cum itaque super hoc puncto d[omi]ni plebani, cum obstetricibus nostris absente Ep[isco]po ultro citroque sermones miscebant, accidit ut obstetrix nomine **Fejérné** non theologico, sed muliebri modo disputans, hanc difficultatem obvertebat: Si inguit (quod saepe evenit) infans nasciturus, non ordinario modo quaerat ex utero matris exitum, et vel pedem unum, vel manum alteram vel nates exertet. Metusque sit eundem in casu isto periculoso, ad hanc utero detentum, facile mori posse: An baptizandus sit, aqua pedi vel manui **v[el] natibus** prominenti inter formulae recitationem adfusa? Responsum fuit, omnino id faciendum fore. Instat **Fejérné** obstetrix, et sic argutatur: Si in isto vel simili quocumque periculosi partus casu nesciatur, masculus ne sit an femella, infans seminatus ut ita loquar, quod et quale tunc nomen illi dandum sit baptizando? Responsum est, illum more Epicoeno, Adamum et Evam esse [p. 109.] baptizandum. Scilicet! Responsio ista haec eodem quo simplicissimae et imperitae mulieris quaestio nitebatur fundamento. Quasi nempe nomothesia ad ipsam naturam Baptismi pertineret, neque ea neglecta salvus esse posset. Casus et discursus prorsus singularis. et c[etera] et c[etera]

II. Eadem occasione ordinatum est ab Exc[el]l[entissi]mo Ep[isco]po obtentu cuiusdam Regii superhoc rescripti: Ut Lutherani Ecclesiae nostrae Reformatae civibus intermixti, quoad stolaria, parocho Romano Catholico subesse debeant. So vero ecclesiastica officia, baptismi, copulae ac funeris per hujates V[erbi] D[ivini] Ministros, vel suae confessionis pastores alibi habitantes praestari cupiverint: Id quidem ipsis fore licitum. Dummodo plebano loci Rom[ano] Catholico stolare praevis exsolvatur. Quia vero sunt heic loci aliquot paria conjugum, quorum mariti Lutheranae. Uxores autem illorum Helvet[icae] Confessionis sunt addictae. Has misellas non levis conturbatio invasit ad hanc Exc[el]l[entissi]mi Ep[isco]pi ordinationem. Referebant itaque nobis pastoribus suis inter acerbos fletus, ita inter se suosque maritos occasione contracti matrimonii fuisse consensum, ut de usu recepto ipsae, earumque filiae, quad omnia juribus ac ritibus Ecclesiae Reformatae sint imperturbate refruendae, filiis nascituros ad paterna sacra transire permissis. Proinde stante Ep[isco]pi ordinatione, foedus hoc initum rumpendum fore, et inter se suosque meritos perpetua dissidia exoriri. Haec, eum me suadente, geniculando et muliebriter flendo Exc[el]l[entissi]mo Ep[isco]po referrent tantum valuerunt, ut Ep[isco]pus deceret: **Avertat Deus, ut ego inquit causam praebeam conjugum contentione** ipsasque proinde earum filias Ecclesia Reformatae restituit.

III. De quo jam superius mentio facta: Ordinatum quoque est, ut nos V[erbi] D[ivini] Ministri Reformati a comitacione malefactorum ad supplicia damnatorum ad locum supplicii, arceamur.

IV. Prater haec curiose investigavit Exc[el]l[entissimus] Ep[isco]pus [p. 110.] salarium nostrum. Nomina nostra, patriam, scholas et academias quibus didicimus, annos aetatis ac functionis adnotavit. Festorum decretalium item copulandorum trinam publicationem injunxit, singulas scholas visitavit. Oratorium nostrum, et deinceps domos nostras parochiales, praesertim musaeum invisit, libros nostros curiose inspectans. Denique ut ne id quoque taceam toto quo heic moram traxit triduo, omnibus vicibus, quibus in templum Rom[anus] Catholicum ibat, indeq[ue] redibat, in accessu ad nos, et discessu campanarum compulsionibus cohonestabatur. Discedentem a nobis consensu rheda ultra pontem **Kenyeré** dictum comitabamur. Alternumque vale diximus, ab eodemq[ue] recepimus. Heu vanitas! Oh ranitas!

Copia intimati, per Consilium Regium Locumtenetiale, contra Ministros Helvet[icae] Confessionis, in puncto Baptismi, ad omnes Regni Hungariae comitatus ac liberas civitates expediti, cuius vigore Episcopi Rom[ani] Catholici, jus visitandi Ecclesias Reformatas, examinandique earum pastores sibi vendicant ab anno emanationis 1742.

Prudentes ac circumspecti, nobis honorandi. et c[etera] et c[etera]

Helveticae Confessioni addictis ministris in Regno hoc Hungariae, notanter in Dioecesi Quinque Ecclesiensi, per Dioecesanum debite ut suo ordine visitatis, inter alias eorundem pravas doctrinas et id compertum est: Quod iidem ministri in puncto Baptismi, perversissimi et in plurimarum animarum interitum tendenti principio insistant, in null ovidelicet plane necessitatis casu, imo etiam in ipso etiam proxime mortis discrimine, a nullo alio, quam praedicante infantes posse baptizari perverse adserentes, et nulla tenus admittentes, insuper et illud pertinaciter statuentes, quod infantes sacro etiam fonte non renatos, Deus aliter salvere possit: [p. 111.] Baptismus item solis praedestinatis ad aeternam salutem deserviat, et nec infantes nisi praedestinos, etiamsi in infantia decedant, salvet, pari pertinencia sustinentes. Quae damnata principia cum novo haereseos indicia ac specimina trahant, in hocque perversissimo dogmate, si iidem praedicantes pertinaciter versari ulterius permetterentur, consequenter iidem obstetricibus, in casibus necessitatis infantum baptismum ultronee interdicerent. Plurimae animae in aeternum praecipitarentur. Complurimarum itaque animarum salutis periculum cum subsit, sua Sacr[atissi]ma Regia Majestas pro innata sibi pietate et apostolico munere de congruo remedio prospicere pietissime cupiens, huius Regni comitatibus ac civitatibus serio ac districtim injungendum clementer commisit. Ut tales praedicantes ab huiusmodi perverso, et contra totius christiani orbis praxin, ab immemorabili tempore inter catholicos pariteret acatholicos, praecipue vero in Regno hoc Hungariae, semper observatam, introducto ac obstetricibus observari per dictos praedicantes impie inculcato principio, compulsi vis etiam mediis returbant, et ne quid simile in posterum etiam dicti praedicantes attentent, sub gravi animadversione eosdem inhi-beant. Obstetricibus vero in casibus necessitatis baptizandi licentiam singula civitas in gremio sui publicet, neve obstetrices id facere omittant, aut a praedicantibus idcirco impediuntur, sedulam vigilantiam gerat, contravenientes aut impedi-entes exemplariter puniat.

Hanc proinde benignam suae Ma[ies]t[at]is Regiae Resolutionem ac sexium mandatum praetitulatis domina[tioni]bus vestris pro eiusdem debita observatione, solenni publicatione, ac in contravenientes etiam statuenda exemplari animadversione, Consilium hoc Regium Locumtenentiale praesentibus intimandum esse duxit. Datum ex Consilio Regio L[o]cum[tenen]tiali Posonii die 15^{to} mensis Septembris anno 1742 celebrato.

Praetitulatarum Domina[tio]nu[m] V[est]ru[m]

Ad officia paratissimi

Comes Leopoldus de Nádasd m[anu] p[ro]pia]

Georgius Fabjánkovits m[anu] p[ro]pia]

Michael Domsits m[anu] p[ro]pia]

Praedictae visitationis tempore, ad normam huius intimati, cum nos ab Exc[el]l[entissi]mo Episcopo, baptismi licentiam obstetricibus deferre obstringeremur. Provocavimus ad Helveticam Confessionem indi.